

**Landesbibliothek Oldenburg**

**Digitalisierung von Drucken**

**Clementissimis Auspicus Fridericianis De Emphasi  
Sacrarum Vocab, Ex veteri Hist. Hebr. repetenda, publice  
cum aliis colloqventur**

Ad diem XII. Maji A. a partu Virginis MDCCIII. In Auditorio Theologorum

**Dassovius, Theodor Dassovius, Theodor**

**Kiloni[i], 1714**

**VD18 90523733**

Comma. X. Apoc. 7. v. 13.

**urn:nbn:de:gbv:45:1-10336**

loco suo movebatur denique totum tabernaculum, quod siebat cum castra ponerent in aliis locis, & sic Ecclesia quasi loco movebatur, & in alium locum transferebatur. Siebat ea res satis operose & pœnæ loco habebatur, quia illo tempore non sacra peragi ministeria, nec offerri victimæ poterant. Unde quando dicitur: & movebo candelabrum de loco suo, sensus hic est: & tollam Ecclesiam ejusque cultum.

§. III. Sed cur Ecclesia præcise cum candelabro comparatur, & non cum alia supellectile, cuius in Ecclesia usus est? quia nihil erat luce majus, nihil luce dulcior nihil lucebat in tabernaculo tam splendide ac candelabrum sacrum, ita etiā lux Ecclesiæ est verbum Dei sincere prædicatum, unde & sacerdotes vocantur luces Ecclesiæ. Sicut itaque sublata luce candelabri, ingruerant tenebræ, ita quoque sublata luce verbi ingruunt tenebræ hæresium, & variae calamitatis.

#### COMMA. X.

*Apoc. 7. v. 13.*

Isti qui amicti sunt stolis albis, quinam sunt?

#### §. I.

**V**ESTES albæ in Iudea gente signum erant lætitiae *Vid. Maim.*  
*T. 3. in Biath Hammikdash c. 6. §. 11. unde &c in convi-*  
viis delpositionum induabantur. *Vid. Aruch. f. 69. col. 4.* &  
e contrario à luctu exultabant. Hinc stolis albis amictum esse,  
est lætari magnopere, & omnibus incedere lætitias.

§. II. Sed quomodo stolæ albæ dicuntur lotæ sanguine? Legimus equidem sanguine contaminatas vestes fuisse diligen-  
ten lotas nempe sputo jejuno, succo fabarum contritaram  
smegmate, nitro, sale Alkali & liqvore margaritarū docente *Maj.*

*T. 3. de*



*T.3. de Oblationibus c.8. §. 4 & 10.* sed sanguine lotas fuisse vestes, non legimus. Hoc tamen certum est, si sacrificiorum sanguines, ex quo aspersi ad altare essent, sive ex quo facta esset expiatio caderent in vestem, vel vestis tota iis immergeretur, ut plane madeficeret, vestis haberetur sancta & nullam diceretur habere maculam. Unde nec lavabatur, quia omnes lotiones superabat *Vid. Maj. de oblationibus c.8. §. 4 ad 10.* ita qui sanguine Christi lavarunt animas vera fide, nullam amplius habent maculam, quia sanguine expiatorio lotae sunt ceu sanguine sanctissimo.

*§. III.* Præterea Gen. 49. dicitur lavari vestis in sanguine uvarum, quod explicatur de copia vini rubri, quod tanta sit vini rubri copia, ut adhiberi loco aquæ ad lavandas vestes possit, qui homo, qui in sanguine uvarum vestes suas lavare poterat, erat felicissimus, utpote qui singularem Dei benedictionem in aucto vino expetiretur. Videantur *Aben Esra & Jarchius in b. I.* Multo magis dici debet felicissimus, qui in sanguine Christi animam suam lavat, quoniam ille benedictionem Dei spiritualem adipiscitur. *Qui enim Christum vera fide suscipit, omnis divina benedictionis spem habet certissimam.*

*§. IV.* Sed dealbari vestes plus erat quam si lavarentur. Unde non modo lotæ dicuntur vestes fidelium in sanguine Christi, sed plane dealbatæ. Quamvis enim lotæ essent vestes, nondum tamen erant dealbatæ, siquidem ad dealbationem non modo una alterave lotio sed crebrius & diligenter repetita requirebatur, ut tunc demum vestis diceretur dealbari, si sexpius & diligenter lota esset, ut albidine vel certare cum nive posset & splendesceret. Judæi enim ad lotiones erant attentissimi. Longe melius lavantur animæ fidelium sanguine Christi, unde tantam albedinem conseqvuntur, quæ omnes terrenarum rerum albedines infinitis parasangis superat, animasq; splendidas efficit & coruscantes, sicut apud Hebræos res etiam per ignem dealbabantur, ut splendere ac coruscare inciperent. *Vid. Maim. in Mischnam Abboda Sara fol. 206. p. 1. edit. Rivenf. in fol.*

DISP. III.



**PRÆFAMEN.**

**C**um annis superioribus aliquas vocum sacrarum  
emphasēs ex Historia Hebræa veteri repeteremus si-  
mul pollicebamur, paulatim nos eruturos esse plures,  
prout otii & temporis ferret ratio; cuius promissi memo-  
res denuo ad studium hoc pulcherrimum accingimur, &  
alia codicis divini commata illustrare ad mentem Hebræ-  
orū incipimus, qvod institutum ut bene feliciterque ver-  
tat, divinum Numen summa veneratione appellamus.  
Sit itaque,

**COMMA I.***Cantic. 1. v. 13.*

**A**micus meus mihi est fasciculus  
myrrhæ &c.

**S. 1.** **C**ur Ecclesia, ceu sponsa, Christum amicum suum  
magnopere dilectum cum myrrhæ comparet fas-  
ciculo facilime indagatur. Amabant enim Hebræe  
virgines myrrham, unde oleo myrrhino se diligentissi-  
me ungebant, ut incalescerent, qvod oleum odoris erat  
suavissimi & tantæ virtutis, ut cavere deberent sibi, ne  
totum corpus immergerent; Sic enim halitus ex impro-  
viso intercludebatur, & vitæ seqvebatur periculum, fidem  
faciente *Nathane in Lexico Aruch, edit. Venet. fol. 71. col. 3.*

**S. 2.** Faciebant etiam virgines ex myrrha fascicu-  
lum

K 3

lum

